

Supra Comagenam, Armenia Minori ad dextram relicta, venit in Cappadociam, quæ protenditur ad pontum usque Euxinum, ad quem etiam fixæ sunt Paphlagonia & Bithynia: quas provincias Latini vocabulo Ponti designarunt.

Caput Cappadociæ Trebifonda est: Paphlagoniæ Amasia, ubi Beglerbegus.

Est etiam Sinope hinc notatu digna, civitas antiquissima, Mithridatis, Regis quondam Ponti, patria; hodiè belo Armeno, seu Sinopico clara.

Bithynia porrigitur ab Haly fluvio usque ad mare Constantinopolitanum: caput habet Bursiam ad Olympum montem, Turcicorum Sultanorum, antea captam Constantinopolin, sedem: habet & Nicæam, concilio celebrem; & Chalcedonem, & ipsam Concilio insignem olim, nunc desertam: denique Nicomediam; martyribus nobilem.

DE TROADE, ASIA, AEOLIDE, JONIA & DORIDE.

Bithyniam sequitur Troas, è regione
Athe